



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Causa negandi alimenta, & exhæredandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

videtur ne fame pereat, quando sponte sua filius in ex-

communicatione persistit. Id mihi difficile videtur. Esto
tunc filius abfoluionem petens; tamen
peccat cogens, ut velit cogere
videtur pietati Ecclesie conueniens, ut velit cogere
parentem ad descendendum filium. Nec obstat Glossa,
Abbas apud Azor. *ibid.* adducti pro ea limitatione: *ij*
non loquuntur de parentibus, quibus peculiaris cu-
m filio in iustitia est à natura, sed de aliis extraneis.

Ad eo rigorosum est hoc onus filium alendi, ut
parentes in hospitali agendos exponant. Ita Sanch. *conf. l. 1.*
vide etiam *d. 5. num. 74. Azor. lib. c. 5. q. 7. fact.*
Lugo, *r. 1. de inst. Quod si timor infamiae, v.*
matris, vel similibus necessitas ad talem expositionem
parentem compellant, quo casu certe non pecca-
bitur: debet ex probabili sententia Sanch. Azor.
id fieri, animo restituendi Hospitali impensas fa-
cendas in alendo exposito. Hospitali (inquam) nam
placet Bassae in floribus, *v. Adulterium. n. 9.* dicens
posse testari aliis pauperibus; si enim extat Dominus,
legitimus administrator eam impensarum, nempe
Hospitalis, qua ratione ad alios pauperes re vertere iure
potest; Vide quae dicam, *lib. 8. r. 4. c. 1. §. 3. n. 17.*
Dixi (ex probabili sententia) nam mihi non est
improbabile cum limitatione mox dicenda ex Layman,
sua opinio Henriquez, apud Sanch. *l. c. num. 17. fin.* quam
sequitur Dicalillus, *lib. 2. de inst. r. 2. d. 7. n. 171.* docentis
in eo timore, seu necessitate, non solum non peccare
parentes etiam diuites exponendo filium in Hospitali;
sed nec ad restitutionem teneri. Ratio est praesumpta
voluntas Fundatorum, qui videntur eiusmodi Hospitalium
erigitione, cuiuscunque generis necessitatibus voluisse
consulere: & mihi placet distinctio Layman, *l. 3. r. 3. p. 3.*
r. 4. n. 4. si Hospitalis sit diues, posse id sine dubio praes-
tare; quod non ita facile potest, si diues non sit. Hospi-
talis magnum Panormi (ut audio) ita hos filios expositos
alere, ut si in eorum patrum, matrumve notitiam veniat,
statim illis eosdem reddat, repetitis expensis haec
exhibitis. Certe sic proferretur eos tantum alere velle, qui
sunt omni ex parte destituti. Quare eiusmodi observatio,
si adesse declarat hanc fuisse voluntatem Fundatorum at-
que adeo observandam.

Pater filio spurio, vel naturali.

Quaeritur, secundò, an eiusmodi alimenta debeat Pa-
ter etiam filii spurii, quales sunt ex damnato congressu
gentis, pura incestu, adulterio, sacrilegio, quibus Pater
prohibetur aliquid causa mortis donare, vel relinquere?
Quod certe, praeter caetera, factum est de legitimis ha-
eribus decretae hereditas. Respondeo debere. Ita Molin.
Azor. Sanch. mox citandi. nam licet leges civiles etiam
alimenta videantur prohibere: tamen quoad haec sunt
correctae à iure Canonico; cum sit de iure naturae ut
pater aliat filium, quacunque tandem ratione ab ipso sit
genitus. Hinc sequitur ex Sanch. *in conf. 10m. 2. l. 2. c. 3.*
cap. 3. §. 36. patrem posse, imò & debere relinquere
filio spurio alimenta proportionata suo statui; & filiae
spuriae similem dotem; haec enim succedit loco alimen-
torum; constituere non solum ex bonis patrimonialibus,
sed etiam ex fructibus reddituum Ecclesiae à patre per-
ceptis, ex Azor. *p. 2. l. 2. c. 12. q. 4.* dotem, inquam, alimentis
respondentem; si enim excedat, non potest: nam pro-
portio eiusmodi excessum tum filia spuria; tum eiusdem
maritus, restituere, etiam ante iudicis sententiam, legiti-
mis haereditibus (nisi forte ipsi liberè remittant) obliga-
bitur. Vide haec diligenter disputata apud Molinam, *de*
inst. r. 2. disp. 168. Sanch. *loc. cit. dnb. 39. & lib. 4. de mari.*
lib. 4. in decal. r. 1. n. 6. ubi inueniens hanc doctrinam non
esse contra Constitutiones Pij V. qui videtur spurii pro-
hibere etiam alimenta; nam intelligit, quando aliunde
ali possunt.

Imò Doctores apud Bardi *l. 1. select. q. 21.* non igno-
Pars I.

biles docent filium, etiam spurium, si nascatur post
donationem bonorum à Patre factam, posse à donatario
legitimè petere alimenta. Donatario, inquam, nam sibi bo-
na Patris ad alios pervenerint ex contractu oneroso, id
non posse, eisdem notant.

De filiis naturalibus, qui illi sunt, qui generantur
ex copula, nec approbata, nec reprobatà iure civili
hic non meminimus: ijs enim certum est, non posse pa-
trem alimenta denegare; imò posse, deficientibus filiis
legitimis, omnia bona sua donare, vel relinquere, ut
fused Doctores. Cum autem dicimus Patrem non posse
denegare alimenta filio, intellige si filius (quicunque
ille sit, etiam si sit legitimus ex Bonacina) loco mox
citando *p. 2. n. 2.* indiget: quando enim non indiget, non
obligatur Pater. Id quod etiam docet Molina, & Sanch.
loc. cit. quibus de Lugo *de inst. d. 2. 4. n. 121.*

Denique Spurius haeres constitutus à Patre sub condi-
tione, si legitimer à Principe, potest petere haeredita-
tatem, & eam interim possidere, donec impetretur fa-
cultas, ut ex Sanch. notat. *d. Lugo lib. 3. respons. moral. d.*
35. n. 5. Lege Sanch. *r. 2. conf. lib. 3. c. 7. dub. 16. 17. & 18.*
aliotque ab ipso cit.

Causa negandi alimenta, & exheredandi, &c.

Quaeritur tertio; Potestne licitè aliquando Parens
alimenta negare filio? Respondeo posse, quando scilicet
adeft aliqua ex causis, ex quibus iure pater filium exhe-
redare valet, etiam legitimam eadem negando: nam ex
iisdem valebit alimenta negare, filia quae dotè non consti-
tuere. Quae eadem causae faciunt, ut filius patri alimen-
ta negare licitè possit. Ita Bonac. *r. 2. d. 4. in decal. prac. q.*
unic. p. 6. §. 3. n. 1. Covar. Molin. Sanch. alique passim apud
eundem Bonac. Ratio horum tangetur mox n. seq. Haec
autem causae quatuordecim ferè numerantur in legibus,
Authent. *in cim. de Appell. cognosc. §. causas autem,* hoc
est. Si filius (intellige etiam & filiam, imò & nepotes
respectu avorum) manus graviter in patrem iniiciat. Si
contumelia gravi afficiat. Si accuset, extra casum prodi-
tionis Patriae, vel Principis. Si cum maleficis se intermi-
secat. Si insidietur vitae patris. Si patris uxorem, hoc est,
novercam violat. Si in iudicium deferat patrem cum
eiusdem gravi detrimento. Si requisitus à patre incluso
filium (non autem filiam) illum non adiuvet. Si prohibeat
patrem testari. Si Histrionicam, vel gladiatoriam artem
exerceat, quando pater non est eiusdem artis. Si patre
offerente dotem, & nuptias, filia minor viginti quinque
annis luxuriosè vixerit. Si parentis fortè curam filius ne-
gligat. Si eundem captivum non redimat, cum possit. Si
nat haereticus, patre existente Catholico. Ita Bonac. *l. cit.*
addit aliam causam, id est, si filius dilapidaverit bona pa-
tris, quam non posuit Azor. *l. c. 3. q. 6.* vide Authent. *cit.*

Sed insurgunt duae difficultates: Prima: An quan-
do Parentes exheredare possunt filium: unde & licitè
negare alimenta; id intelligatur de omnibus, hoc est, etià
de necessariis ad vitam sustentandam? Respondeo: ita
intelligi docet Molina vterque apud Sanch. *l. 4. marim.*
d. 26. n. 1. alique quia tunc filius ob suam ingratitude, non
habetur amplius pro tali; solum igitur perinde ac
caeteri proximi, in extrema necessitate erit adiuvandus.

Non ita intelligi, sed patrem teneri haec necessaria
alimenta praestare, docet Covar. apud eundem Sanchez,
quia esse phisicum filij nunquam amittitur atque sem-
per in patre aliqua major obligatio residet, quam in aliis.
Vtraque sententia est probabilis. Hanc ut probabilio-
rem & certè magis piam libentius amplector.

Secunda difficultas: An possit exheredari filius,
atque à dictis alimentis expelli, si committat contra pa-
trem aliquod peccatum simile, vel majus iis, quae dicta
sunt? Respondeo. Negant plerique, Molin. *l. 1. de inst. r. 2.*
d. 176. alique apud eundem; nam in Authentica dicitur,
ut praeter causas numeratas, nulli liceat ex alia lege aliàs
ingratitude causas opponere, Concedunt Clarus, Co-
vart. Reginald. apud Bonac. *r. 1. circa 4. Decal. precept. d. 4.*
quasi.

